



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Historico-Theologicae In quibus expenditur an  
verè dicatur: Lovanienses sunt condemnati per Decretum  
SS. Domini Nostri Innocentii XI. Proscribentis LXV.  
Articulos?**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1683?]**

Conclusio Prima. Proponitur status & origo quæstionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40472**

## CONCLUSIO PRIMA.

*Proponitur status & origo quaestionis.*



Quaestio quam in hisce Thesibus examinandam suscipimus, est, an per Decretum SS. D. N. Innocentii XI. datum 2. Martii 1679. Theologi Lovanienses, ut à non paucis creditur, reverà sint condemnati? Pro quo notandum quòd *partibus iudicem quempiam utrimque informantibus condemnata dicatur pars illa, contra quam sententia fertur*, id est, condemnata dicitur pars quae agebat ut oppositum judicaretur. Quare in causa 65. Propositionum quas condemnavit Innocentius XI. condemnati dicendi sunt qui apud suam sanctitatem egerunt ne propositiones illae condemnarentur. Adeoque ab opposito, ut aiunt, non possunt dici condemnati qui, ut illae propositiones condemnarentur omnimodè satagebant. Quarendum ergò an Lovanienses in nupera ad S. Sedem Deputatione egerint ne propositiones illae condemnarentur, an verò laboraverint ut condemnarentur. Quaestionis hujus occasionem dederunt Lovaniensium Adversarii, dum sub illud tempus quo S. Sedes in negotio 65. Propositionum occupabatur, & potissimum dum illae propositiones jam erant condemnatae, talia de Lovaniensibus, praecipuè per Belgium & Hispaniam sparserunt, ut à multis Theologiae imperitis in Belgio, in Hispania verò à quibusdam Academiis creditum sit, quod moderni Lovanienses aut haeretici sint, aut saltem de haeresi admodum suspecti, & specialiter quòd Romae per antedictum Decretum 65. Propositionum sint condemnati, atque à notabilioribus muniis Theologicis & Ecclesiasticis posthac ob malam doctrinam prorsus sint excludendi.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Ex factis quibusdam qua negari non possunt, quaestio proposita deciditur.*

**A**dversarii nec possunt, nec unquam audebunt negare, saltem palam, quòd 65. Propositiones à SS. D. N. Innocentio XI. sint condemnatae ad petitionem & sollicitationem Deputatorum Facultatis Theologicae Lovaniensis. Non possunt etiam, nec audebunt negare, quòd Facultas Theologica Lovaniensis Deputatos suos cum in finem Romam ablegaverit, & unà ut praecipua ac maximè controversa doctrinae suae capita ibidem exhiberet. Igitur Doctores Lovanienses non sunt per Decretum 65. Propositionum condemnati, cum ipsi non contra, sed pro illarum condemnatione ad Urbem accesserint, nec ad illam condemnationem avertendam, sed pro illa impetranda per biennium in Urbe permansisse notissimum sit. Is namque, ut ex ante data definitione patet, *dicendus est condemnatus, contra quem, non verò secundum quem judicatum est*. Praeterea non possunt quoque negare Adversarii (nam res nimium certa, ac multis nimium nota est) quòd ipsi primo anno quo Lovanienses condemnationem illam sollicitabant, multis modis eam fuerint conati impedire: ex quo iterum conficitur quòd ipsimet Adversarii sint condemnati; nam *condemnatus dicendus est iste, contra quem, non verò secundum quem judicatum est*. Denique negare rursus non possunt, quin ubi sciverunt inter condemnatos nullum esse articulum Scholae Lovaniensis, perierint instantèr ut doctrina Lovaniensis iterum examini subiceretur, in hoc unice collimantes, ut in secundo examine saltem unus Scholae Lovaniensis articulus condemnaretur. Concesso ac peracto iterato per integrum ferè annum examine, nullius rursus Lovaniensis articuli proscriptionem extorquere potuerunt. Quomodo ergò adversarii jam per Belgium & Hispaniam spargunt,